

„diebus perseveret, nec possit æger permanere jejunus.

VII. Similiter aliam formam distribuendi Eucharistiam per modum *viatici*; aliam per modum *devotionis* Ritualia præscribunt.

Dum enim infirmo datur per modum *viatici* dicit Sacerdos: *Accipe Frater (vel Soror) VIATICUM Corporis Domini nostri Jesu Christi qui te custodiat ab hoste maligno & perducat ad vitam æternam.* Si verò non per modum *viatici* datur, dicit more ordinario: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.* Ità passim hodierna Ritualia. Num hæc duplex infirmorum communio etiam antiquis nota fuerit, nescio; nullum saltem hujus distinctionis in antiquis Canonibus vestigium hæcenus reperi.

VIII. Illud utriusque communioni infirmorum commune est, quod etiam juxta modernam disciplinam à Parocho ad infirmos Eucharistia deferenda, atque à solo Parocho infirmis distribuenda sit; nullusque Sacerdos, extra casum necessitatis, siue secularis siue Regularis eam ad domos infirmorum deferre sine Parochi licentia possit.

IX. Quapropter privilegia data Regularibus distribuendi sacram Communionem, etiam quibuscumque Fidelibus, intelligi de administratione in propriis suis Ecclesiis post Canonitas notat Augustinus Barbosa *De Officio Parochi parte 2. cap. 20. nu. 3.*

X. Illudque Parochorum jus non obscure supponunt Ritualia & Synodi, dum semper ad Parochos verba dirigunt ubicumque de infirmorum communione loquuntur; atque nonnulla nominatim declarant, Regularibus eam esse vetitam. “Sciatis Regulares nec ullo tempore deferre posse publice, aut *privatim* Eucharistiam ad ægros extra septa monasterii sui;” ait Synodus Namurcensis anno 1659. *tit. 6. cap. 6. Et cap. 7.* subjicit: “Multò minus *Viaticum* secularibus, aut Ecclesiasticis in mortis articulo existentibus, saltem non nisi cum licentia & de consensu expresso nostro (Episcopi) vel Vicarii nostri generalis, aut Pastoris loci, extra casum necessitatis.” Hæc ibi citata ad marginem Constitutione Gregorii XV. de anno 1622. ac deinde capite sequenti pœnas in contravenientes decernit: “Si qui ex illis præsumperint præmissis contravenire, sciant se subiacere censuris, & tam per subtractionem elemosynarum Cleri, quam ademptionem Stationum eos cogendos iri ad observationem eorum.

Et Archiepiscopus Mechliniensis in Decreto evulgato 6. Februarii 1680. *art. 9.* ait: “Cum juxta Decretum Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 13. De Reformat.* solis Parochis competat, ratione suæ curæ, administrare Sacramenta suis respectivè Parochianis, districtè inhibemus, ne ullus Sacerdos secularis aut Regularis, cujuscumque Ordinis aut instituti sit, tam sit temerarius, aut potestatis suæ immemor, ut *occulie* ferat Sacramentum *Eucharistia* aut *Extremæ* Unctionis ad aliquem infirmum, aliumve cujuscumque fuerit conditionis: eos admonentes ut meminerint pœnarum & censurarum per Ecclesiam decretarum contra eos qui contraveniunt decretis dicti Concilii.

XI. Censuræ, quarum in hoc Decreto, & citata Synodo Namurcensi fit mentio, sunt excommunicatio quæ in *Clementina de Privilegiis* decernitur in Regulares, qui Clericis aut laicis Sacramentum *Eucharistia* ministrare, non habita super hoc Parochialis Presbyteri licentia speciali, præsumperint. Cum enim privilegia data Regularibus duarumtaxat concernant administrationem Eucharistia in propriis Ecclesiis & Monasteriis, manent decreta censura in illos, qui eam ultra privilegiorum tenorem, administrant extra proprias Ecclesias & septa Monasteria; atque ità quoque ad interrogationem Pastorum civitatis Antverpiensis responderunt die 23. Junii 1664. quatuor Doctores Theologi Lovanienfes, nimirum Gerardus Van Werm, Jacobus Pontanus, Joannes Sinnich, & Andreas Laurent; unà addentes postea, imò & teneri Episcopum, prohibere delationem

cu. tam hujus Sacramenti sub pœnis in dicta Clementina expressis; signanter quando leviores pœnæ judicantur non sufficere ad obviandum efficaciter abusus contrariis.

XII. Parochus autem omni tempore paratus esse debet administrare infirmis hoc Sacramentum, tam post prandium, quam ante, tam noctu, quam interdiu. Monet tamen Rituale Romanum, *noctu hoc Sacramentum deferri non debere, nisi necessitas urgeat.* Et Synodus Bulcoducensis sub Masio *tit. 7. cap. 15.* arguit abusum, tunc frequentem, deferendi Eucharistiam ad ægros *sub vesperam*, monendumque vult populum, ut, quantum fieri potest, non nisi jejunii hoc Sacramentum ægri percipiant, nec expectent tempus ultimæ necessitatis. “Numquam tamen Pastor (inquit Synodus) tempore nocturno aut aliàs quantumvis importuno vocatus, cum id infirmi status postularet, ab officio faciendo se excuset, *gravissimè puniendus*, cujus culpa infirmus non munitus Sacramentis è vita excesserit.” Idem habet Synodus Antverpiensis sub Masio *tit. 7. cap. 7.*

XIII. “Cavendum autem imprimis esse monet Rituale Romanum, ne ad *indignos* cum aliorum scandalo deferatur, quales sunt publici usurarii, concubinarii, notorie criminosi, nominatim excommunicati aut denunciati, nisi se se prius sacra confessione purgaverint, & publica confessioni, prout de jure, satisfecerint.

XIV. Monet insuper Synodus Bulcoducensis sub Masio *tit. 7. c. 13.* Sacra Communio ad ægrotum non deferatur nisi ad eum, qui verè eam sumpturus est. Et Manuale Cameracense nec deferri vult Sacramentum *ad adorandum, seu devotionis seu cujusvis rei prætextu ad ostendendum.* Ratio hujus præcipua videtur, quia Sacramentum neque ad hoc institutum est, neque hanc consuetudinem habet Ecclesia Dei. Si verò (ait Synodus) aliquando fiat, ut dum ad eum Parochus venit, morbi vitia illum affectum inveniunt, ut eam tunc illi rectè administrare non possit, cum aliis qui adstant, sanctè oret; & si ægrotus optet aperta pixide liceat ostendere adorandum. Pastoralis Mechliniense, ut & Manuale Cameracense dicunt, simili casu, exhibendum esse Sacramentum *ad adorandum sed*, inquirunt, *non desunt ad observandum.*

XV. Utrumque etiam Manuale monet, Parochi tunc officium esse, ut ægrum doceat, quo pacto possit illud specialiter sumere, id est, fructum & utilitatem ejus consequi, nimirum per ejus desiderium & votum, ac fidem vivam, que per dilectionem operatur; consolando eum his Augustini verbis: *Crede & manduca.*

XVI. Quo ritu olim ad ægros Eucharistia fuerit delata non satis est expeditum. Illud constat ex præscripto Honorii III. in *Cap. Sane de Celebrat. Missarum*, mandari Sacerdoti, ut “eam in decenti habitu superposito mundo, velamine ferat, & referat *manifestè ac honorificè* ante pectus cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente, cum sit Candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur.

Quod publicam seu manifestam delationem attinet, eam non tantum moderna Ritualia siue Manualia, sed & Synodi uno consensu urgent & inculant; additque nostrum Pastorale Mechliniense: “Non enim toleranda est eorum licentia & abusus, qui sine *gravi necessitate* sub clamide, *occulie* sine lumine & honore illud deferunt.

XVII. Idque observandum esse, siue per modum *viatici* siue *devotionis* causa deferatur, expiis deceptorum expressione & ratione per quam manifestum est; ideoque Synodus P. II. Mechliniensis postquam decrevit, ut “Pastores & quicumque alii Sacerdotes venerabile Corpus Christi Sacramentum ad ægrotos, aut alios *numquam* perferant, nisi decenter & reverenter ornatì stola & superpelliceo &c. addit. Idque observetur, etiam si infirmus *querentis* in agritudine sua *Viaticum* saluus sibi deferret, alioquin pœna arbitraria puniatur.

Statuta Synodalia Antverpiensia sub Somnio anno 1570. publicè

publicè deferri volunt Eucharistiam, *quandocumque extra Ecclesiam* administranda est.

Et in Congregatione Archipresbyterorum Diœcesis Mechliniensis coram ipso Episcopo anno 1663. *art. 15.* decretum fuit: “Numquam deferatur Venerabile in *occulie* ad infirmos, sed *semper palam* cum debita reverentia, & accensis luminaribus; qui secus fecerit citra *necessitatem* *inevitabilem*, correctioni arbitraria subjacebit.” Deinde *art. 26.* “Si autem Religiosi aliqui *exempti* id præsumpserint attentare, non tantum per promptam subtractionem elee nosynarum & stationum, sed etiam per alia oportuna juris remedia procedetur contra eosdem.

Similiter Episcopus Gandensis edito Decreto 17. Maji 1668. præcepit omnibus siue Diœcesis Pastoribus aliisque Sacerdotibus, ne *numquam* siue *noctu* siue *interdiu* sanctissimum Eucharistia Sacramentum *clanculum & lateenter* ad infirmum deferant, quacunque tamen de causa; nisi ait à Nobis Archipresbytero nostro prius examinanda & approbanda.” Post hæc mandat, ne ullus Regularis, cujuscumque Ordinis aut Instituti, sibi arroget Eucharistiam *lateenter* infirmo conferre extra septa sui Monasterii nequidem *ut ex devotione* communicetur.

Hoc Decretum cum quidam de Clero tum seculari tum Regulari ægri recipient, eique nescio que obijcerent, illud solidissime tum ex sacris Canonibus, tum Synodorum Decretis stabilivit Ignatius Gillemans Cathedralis Ecclesiæ Gandensis Canonicus & Archipresbyter in epistola ad amicum Pastorem; in qua etiam ad longum refert resolutionem Doctorum Lovanienfium supra citatam.

XVIII. Synodus P. II. Cameracensis improbat abusum eorum, qui sanctam Eucharistiam ægris, qui morbum dissimulare volunt, seu alio quocumque prætextu *occulie* sine lumine, & sine honore deferunt, nisi, ait, de *expressa* Episcoporum licentia id faciant. *Tit. 9. cap. 2.*

XIX. Deinde *cap. 3.* subjungit: Admodum etiam indecens est, quod solus Pastor cum Clerico suo praeunte, ut plurimum ad ægros deferendum hoc Sacramentum procedat, aut pauci ex populo sequantur. Quare sæpe populum suum moneat Parochi, ut frequens hoc sanctissimum Sacramentum prosequatur, maxime ii, qui sunt Confratres Sodalitatum Corporis Christi, quos optaret S. Synodus ubique per Episcopos erigi atque institui.

Post hæc *cap. 4.* Antequam autem ad ægros deferatur, certis campanæ pulsibus signum detur, ut fideles, quibus vacant convenire possint.

XX. Instructio & Decreta generalia pro Pastoribus civitatis & Diœcesis Leodienfis facta per Antonium Albergatum Nuntium Apostolicum in visitatione Apostolica anno 1613. habent. “Cum deferatur ad infirmos, Pastor pulsandam curet campanulam; quâ deputati Scholæ ad Ecclesiam congregentur, ut illud debita cum reverentia, & honore comitentur, nec unquam prodeat, nisi associatus ad minus à sex viris, si commodè haberi poterint, cum luminaribus accensis, nec super hoc inexcusationes essent adducendæ, nec est credibile quin populus munitus à Pastore de gravitate negotii, & de mandato sanctissimi, non fit plenè pariturus. Si etenim debitam adhibere voluerit diligentiam, certum est Pastores in hoc genere à populo libenter admodum omnia obtenturos esse.

Verissime id prædixisse horum Decretorum auctorem ostendit concursus populi, atque luminis copia in delatione Eucharistia iis in locis, in quibus Pastorum zelus in excitanda populi pietate ac reverentia erga hoc Augustissimum Sacramentum elucet.

XXI. Sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi VI. *Tit. 9. vult*, ut “Parochus hortetur & curet ut uniusquisque Parochialis præsertim dato campanæ Parochialis signo, quo sacra Eucharistia ad ægrum deferende significatio fit, sine mora in Ecclesiam Parochialem conveniat, vel alium de familia digniorem mittat, ad illam cerei cande-

læve lumine prosequendam. Si quando autem is, qui Parochialis est, per necessariam occupationem non potest, saltem certum aliquem hominem, vel filium natu majorem, vel denique famulum, aliumve mittat, qui id pietatis officium præstet. Atque eam ob causam domitiã, omnis Pater familias perpetuo funale cereum, aut candelam unam, pluresque habeat, que ad id pietatis opus officiumque usus sint.

Eadem pene habet Synodus Iprensis sub Rithovio *Tit. 14. cap. 9. Et cap. 10.* addit: “Quotquot autem Sacerdotem deferentem hoc venerabile Sacramentum concomitantur, omnes, tam eundo, quam redeundo à fabulis abstineant; sed pro salute infirmantis, devotâ mente, Dominum Deum deprecantur.

XXII. Atque ut id fiat cum summa religione, populus pro concione moneatur & excitetur, eique incalctetur, Nos omnibus & singulis Fidelibus umbellam hujusmodi deferentibus, vel devotè comitantibus *quadragesimæ dierum Indulgentias* impertiri,” ait Antonius Tricest Gandensium Antistes in Statutis Synodalibus anno 1605. *Tit. 6. cap. 5.*

Similes Indulgentiæ passim in Decretis Synodalibus & Episcopalibus adducuntur, additque Synodus Namurcensis anno 1604. *tit. 6. cap. 14.* quod si qui impediti comitari nequeunt, in Dominibus suis saltem pro salute corporali & spiritali ipsius ægroti Dominum deprecati fuerint, 20. *dierum Indulgentias* habebunt.

XXIII. Ad hæc optant Synodi nostræ in omnibus Ecclesiis Parochialibus saltem celebrioribus erigi Confraternitates S. Sacramenti; quarum Sodales specialiter honori & cultui hujus sanctissimi Sacramenti intendant; atque ipsam Sacramentum quoties ad infirmos deferunt, *per se, vel per alium*, legitimo impedimento occurrente, devotè asscient, juxta articulum erectioni hujusmodi Confraternitatis inserti solitum.

Confraternitates hujusmodi in pluribus Ecclesiis Belgicis sub finem præteriti seculi; nec non hoc seculo sunt instituta & à Sede Apostolica, aut Ordinariis locorum probatæ ad normam hujusmodi Confraternitatis primitus institutæ in Urbe in Ecclesia Domus Beate Mariæ super Minervam Ordinis fratrum Prædicatorum quam probavit Paulus III. 1. Julii 1630. Bulla quæ incipit *Dominus noster* 20. in Bull. R. In hac Bulla articulus de associatione Eucharistia deferendæ ad infirmos exprimitur his verbis §. 4. “Ac quod Rector cujuslibet ex Ecclesiis prædictis (Parochialibus) seu illius locum tenens, quotiescumque esset necessarium Sacramentum hujusmodi alicui infirmo ministrari, & ad illius pulsari facere teneretur, ad hoc ut Confratres vicini Parochia illius Ecclesiæ se moneri & convocari ad sociandum Sacramentum ipsum cognoscerent, & per se ipsos associati, si legitimo impedimento detenti non forent, alioquin per unum de suis dignioribus familiaribus Sacramentum prædictum ad domum dicti infirmi, facibus accensis associari & comitari facere tenerentur.”

CAPUT V.

De Circumgestatione & Expositione Eucharistia.

1. Incertum quo tempore inceperint processiones cum Venerabili.
2. Primis 10. seculis ignota.
3. An aliqua apud Græcos nota sit?
4. Non videtur cum solemnitate Corporis Christi inceperit.
5. Videtur seculo 14. sensim invaluisse.
6. In quibusdam Ecclesiis citius, in aliis serius recepta.
7. Sub initium seculi 15. erat usitata.



8. Probat hunc Processionis Synodus Tridentina.
9. Episcoporum est has Processiones dirigere.
10. Olim extra Missam etiam in Ecclesia Latina Venerabile palam populo adorandum non proponebatur.
11. Incertum an primitus Venerabile palam in processione portaretur.
12. Non videtur ante recepta Ostensoria palam delatum fuisse.
13. Quæ ratione ex usu processionum proflexerit publica Venerabilis Expositio?
14. Ritus hic expositionis licet recentior, non est tamen improbandus.
15. Eucharistiam posse adorandam exponi sequitur ex reali Christi presentia.
16. Penes Episcopum est auctoritas hanc expositionem dirigere.
17. Sacra Congregatio declaravit, nec Exemptos posse sine licentia Episcopi Eucharistiam palam exponere.
18. Idem declaravit Clerus Gallicanus.
19. Sententia Synodi Cantuensis de hac Episcoporum auctoritate.
20. Regulares etiam exempti acceptare non possunt fundationes cum onere exponendi Venerabile, nisi accedat licentia Episcopi.
21. Cavendum ne nimia expositionis frequentia minuat reverentiam.
22. Querela Joannis Gropperi de nimia frequentia, quæ & hodie verificari possit.
23. In oratione 40. horarum non semper exponendum Venerabile, & contrarius hodiernus, usus an probandus?
24. Non exponendum in Ecclesiis in quibus prævideretur non servanda conveniens reverentia.
25. Convenienter & cum decenti ornatu Venerabile exponendum.
26. Instruendus populus quo mentis affectu coram Venerabili exposito consistere debeat.

I. Quando in Ecclesia Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum publicè per plateas solemnè pompâ circumferri, ipsæque processiones sive supplicationes cum Venerabili frequentari cœperint, valde obscurum & incertum est.

II. Hoc expeditum est, primis decem seculis hujusmodi processiones sive circumgestationes Eucharistiæ fuisse penitus ignotas. Nec publicas processiones istiusmodi coheruisse cum disciplina antiquæ Ecclesiæ, etiam notat Christianus Lupus in Tractatu *De sacris processionibus cap. 2.* „Ista namque disciplina, ait, Sacrosanctam Eucharistiam rigidissimè abscondebat, non Judeis dumtaxat ac Gentilibus, sed etiam Catechumenis ac Pœnitentibus.

III. Insuper constat has solemnes processiones cum Venerabili nunquam notas fuisse, nec hodie esse in Ecclesiis Græcorum; unde hujus ceremoniæ seu ritus nulla in eorum Ritualibus mentio occurrit; hoc uno excepto, quod species aliqua Processionis apud illos frequentetur, similis illi quæ apud nos fieri solet in die Parasceves, dum Sacra Hostia pridie consecrata; & in parvo altari ad hoc specialiter adornato reposita, processionaliter præcedentibus luminaribus, & Clero populoque comitantibus deferretur ad summum altare, ut ibi per Sacerdotem Missam Præsanctificatorum celebrantem sumatur.

Græci enim omnibus diebus Sabbathi & Dominicis quadragesimæ per Sacerdotes aut Diaconos ferunt in modum processionis ipsa Præsanctificata sive hostiam præconsecratam ex parvo Altari, quod *Propositionis* vocant, ad summum Altare: sed Diaconus vel Presbyter illa gestat impolita capiti & longo velo contexta: quemadmodum in Ecclesia Latina in die Parasceves Hostia fertur impolita calici velo contexta & involuta. Præter hanc processionem

nulla apud Græcos legitur in qua Eucharistia vel *occulis* vel *aperiè* circumferatur.

IV. Plures credunt, hodiernas cum Venerabili processiones institutas fuisse, & in Ecclesia Latina originem habuisse sub Urbano IV. qui circa initium sæculi 13. solemnitate Corporis Christi feria V. post octavam Pentecostes celebrandam instituit, aut saltem jam in Ecclesia S. Martini in civitate Leodiensi institutam per omnes Ecclesias celebrari voluit, edita Bulla quæ incipit *Transiturus*; quæ à Joanne XXII. sub nomine Clementis V. in Concilio Viennensi inserta est in *Clementina Unica De Reliquis & Veneratione Sanctorum*.

Verum in Bulla Urbani, quæ prædictam festivitatem instituit, nulla hujusmodi processionis mentio occurrit. Deinde Urbanus peculiarem indulgentiam concedit iis, qui vel uni ex horis Canonicis, quas speciatim recenser, interfuerint, nullas tamen concedit iis qui processionibus assistunt. Indicium sane haud obscurum, processionem tunc temporis nondum notam fuisse.

Deinde S. Thomas, qui dicitur jussu Urbani IV. SS. Sacramenti officium composuisse, de hac processione non loquitur; cum tamen de omnibus Officiis Divini partibus differat, hanc utique non prætermittitur, si instituta fuisset; utpote quæ partem Officii Divini nec exiguan, nec levis momenti constituisset.

Sed & auctore, qui sub eodem tempore de instituta hac solemnitate per Urbanum IV. scripserunt, de processione silent: uti & ipse Urbanus in Bulla quæ incipit *Scimus* inferipta Evæ reclusæ S. Martini Leodiensis; scribit quidem se festivitatem Corporis Christi instituisse; ac de institutione Processionis nihil. Extat hæc tomo 11. Concil. col. 817.

Itaque non apparet institutio processionis Urbani VI. adscribi posse; neque illam tunc temporis adhuc partem illius solemnitatis constituisse.

V. Verisimile est, eam seculo 14. paulatim invaluisse; atque non simul in omnibus Ecclesiis, sed in aliquibus citius, in aliis ferius fuisse institutam, ad solemnitatem instituta festivitatis augendam.

In Concilio Senonensi habito anno 1320. loco 1. hæc habentur: „Circa verò processionem solemnem, quæ dicta quinta feria fit à Clero & populo in delatione dicti Sacramenti (Corporis & Sanguinis Domini) his diebus, cum quodammodo divinâ inspiratione introducta videatur, nihil quoad præsens injungimus, devotioni Cleri & populi relinquentes.

VI. Evidens hinc est, eo tempore in Ecclesia Senonensi notam fuisse solemnem processionem Venerabilis Sacramenti: eandemque in Ecclesia Tornacensi anno 1325. notam fuisse exacta Capitulari dictæ Ecclesiæ probat Joannes Baptista Thiers in Dissertatione in expositione *Venerabilis lib. 2. c. 1.* uti & in Ecclesia Carnotensi anno 1330. ex quadam charta ejusdem Ecclesiæ, id ipsum ibidem probat.

Quod ergo scribit Donatus Boslius Jurisconsultus Mediolanensis in Chronico ad annum 1492. „Anno Domini millefimo quadagesimo quarto, vigesima nona Maji, die jovis, Corpus Christi solemniter, ut postea facilitatum est, per Papiam urbem circumferri cœptum, nequaquam probat, tunc in Ecclesia primum hujusmodi circumgestationem inchoatam (uti colligit Genebrardus) sed solummodo, quod ante illud tempus Papiæ instituta non fuisset.

VII. Quidquid sit, processionem cum Venerabili sub initium sæculi 15. fuisse usitatam, sat innuit Martinus V. in Bulla quæ incipit: *Ineffabile 12* in Bull. R. Post duplicatas enim indulgentias, quas Urbanus IV. dederat iis qui officio Divino in festo Corporis Christi interessent, subjicit. „Illi præterea qui processiones, in quibus ipsum vivificum Sacramentum dicto festo juxta præfatum Ecclesiarum ritum deferretur, continuo secuti fuerint centum dies singulis annis de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxentur.

VIII. Sy-

VIII. Synodus Tridentina de hoc processionum usu tum in Ecclesia Latina recepto & stabilito *sess. 13. c. 5. de Eucharistia*: „Declarat pie & religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam & festo die præcellum hoc & venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur.

IX. Cum verò hæc processiones præcipuè institutæ sint ut debitus honor Venerabili Sacramento exhibeatur; atque populi erga idem Sacramentum devotio magis excitetur, Episcoporum ac Pastorum est invigilare, ne per eam frequentiam populi devotio & reverentia defervecat; nil processionibus illis admisceatur, quod debitum cultum hujus Sacramenti imminuat, aut in illius vilipendium tendat, vel oculos Fidelium offendere, vel ab adoratione hujus Sacramenti eorum mentem avocare possit, quemadmodum latius *part. 1. tit. 16 cap. 9.* agendo de auctoritate Episcoporum in dirigendis & inducendis precibus publicis ostendimus.

X. Unâ cum processionum ritu, credunt nonnulli, etiam publicam expositionem Venerabilis solius adorationis causa originem accepisse. Illud satis compertum, Eucharistiam multis seculis etiam in Ecclesia extra ipsius sumptionem & Missarum solemniam publicè populo ad adorandum expositioni non fuisse.

XI. Hoc non perinde compertum est, num in ipsis Processionum initiis, Venerabile Sacramentum ita circumgestaretur, quemadmodum hodie moris est, an verò, quemadmodum in processione diei Parasceves fieri solet, vel aliquo coopertum portaretur; quod verisimilius credit Joannes Baptista Thiers in citata dissertatione; creditque ex primævo illo usu, adhuc in quibusdam Ecclesiis superesse quasdam processiones, in quibus Sacramentum *occulis* sive *contextum* circumferretur: quin asserit necdum elapsos esse 120. annos à quibus in omnibus Galliæ Ecclesiis, etiam in processione *solemni* Festi Corporis Christi Sacramentum visibiliter delatum sit.

XII. Certum quippe apparet, Sacramentum visibiliter non fuisse delatum ante usum *Ostensoriorum*; hæc verò multo recentiora esse ipsis processionibus omnes agnoscunt aeg; eorum mentio reperitur in aliquo Concilio aut Decreto alicujus Pontificis vel Episcopi ante Concilium Colonienfem anno 1422. in quo statuitur quod deinceps ipsum Sanctissimum Sacramentum, nullatenus visibiliter in quibuscumque; *Monstrantibus* ponatur aut deferatur, nisi in Sanctissimo Festo Corporis Christi cum suis octavis semel in anno in qualibet civitate aut oppido, seu Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarii; aut aliâ pro pace aut alia necessitate imminente, ex indispositione reipublicam prægravante.

Hinc constat, seculo 15. Ostensoriorum sive Monstrantiarum usum, saltem in aliquibus Ecclesiis, repertum fuisse; atque ipsum Sacramentum in illis positum fuisse visibiliter in processionibus delatum; sed num eodem tempore etiam extra processiones in altari ad adorandum publicè expositioni fuerit, non perinde compertum est.

XIII. Admodum verisimile est, ut notat Joannes Baptista Thiers in citata dissertatione *pag. 225.* publicam & visibilem Sacramenti expositionem ex ipsius visibili in processione circumgestatione originem sumpsisse.

Cum enim usus invaluisset, ipsum Sacramentum in plateis & Ecclesiis in processione exponendi; haud inconveniens vestrum fuit; illud quoque in altari aliòve eminentiori loco extra tempus processionis ad adorandum visibiliter exponere; idque primum durante officio divino aut ejus aliqua parte in Festo Corporis Christi; deinde integro illo die; postmodum per ejus octavam; ac tandem nonnullis aliis diebus & solemnitatibus; atque ita sensim ad modernam disciplinam delapsi sumus.

XIV. Quamquam ergo agnoscere debeamus, ritum hunc

publicè ac visibiliter ad adorandum Sacramentum Eucharistiæ exponendi esse recentiorum, illud tamen expeditum est, ritum hunc nihil ipsius Eucharistiæ institutioni, aut fidei Ecclesiæ Catholice contrarium continere; imò ejus legitimum usum ex ipsa fide Ecclesiæ probari.

XV. Supposita enim reali ac substantiali præsentia Christi in hoc Sacramento, consequens est ipsum non minus hic sub speciebus *Panis & Vini* jam gloriosum latentem cultu Latræ adorari posse, quam eum Apostoli viventem & mortalem adoraverunt.

Hinc Synodus Tridentina *sess. 13. de Eucharistia* cum *capite 4.* asseruisset realem præsentiam Christi in Eucharistia, tamquam consequens inferit *cap. 5.* „Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto Latræ cultum, qui verò Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant.

Et Canone 6. ait: „Si quis dixerit in sacro Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu Latræ etiam externo adorandum; atque ideo nec festivâ peculiari celebritate venerandam, neque in processionibus secundum laudabilem & universum Ecclesiæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur populo proponendum & ejus adorationem esse idololatras; Anathema sit.

XVI. Porro sicuti Episcoporum est, publicas Venerabilis Sacramenti circumgestationes aliâque processiones ordinare & dirigere, ut & devotioni populi, & reverentia huic Sacramento debitæ subserviant; ita quoque penes Episcopos est auctoritas, hanc publicam Eucharistiæ expositionem ordinare & dirigere; adeo quidem ut nec Regulares quantumvis exempti, Venerabile sine ordinarii sive Episcopi licentia, seu alia ex causa quam ab Episcopo probata in suis Ecclesiis publicè exponere queant.

XVII. Hanc Episcoporum auctoritatem non semel probavit S. Congregatio Cardinalium; atque signanter, cum anno 1644. super publica hac expositione quæstio incidisset inter Archi-Episcopum Burdigalensem & Patres Dominicanos, re delatâ ad sacram Congregationem & ritè examinatâ missum fuit ad Cardinalem Grimaldum Nuntium Apostolicum in Gallia & per eundem publicatum Decretum tenoris sequentis: „Congregatio Concilii censuit, non licere Regularibus, etiam in eorum Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, nisi ex causa publica quæ probata sit ab Ordinariis.

XVIII. Conformiter ad hanc declarationem; & ipsam auctoritatem Episcopalem, quâ intendere jubentur Episcopi omnibus quæ ad populi devotionem ab Ecclesia sunt ordinata, declaravit Clerus Gallicanus anno 1055. *nullo exempto* sive *Regulares* sive *Regulares* posse exponere palam SS. Sacramentum, illudve deferre in publicis processionibus, nisi in solemnitate SS. Sacramenti aut diebus devotionum extraordinariis pro publicis causis indictis & per Episcopum approbatis, obtentâque ejus permissione.

XIX. Utque plura Synodorum Decreta his consona omittam, anno 1661. Synodus Catanensis, cui præsidebat Michael Angelus Bona dies Episcopus Catanensis quondam totius ordinis FF. Minorum Generalis, hoc notabile in hac materia Decretum emisit *Sess. 1. cap. 4. Numer. 72.* „Regulares quid in propriis Ecclesiis circa expositionem SS. Eucharistiæ facere possint, docentur à decisione S. Congr. ritus, quam omnino observari præcipimus sub multa interdicti Ecclesiæ, & Superiorum suspensionis. Nimirum ne sine speciali Sedis Apostolicæ privilegio, quod nobis ostendere teneantur, illam exponant absque causa, quam approbare ad nos spectat; & quidem illa publica esse debet, non verò privata. Quare Superioriores omnes Regularium jubemus, intra mensum ab hujus Synodi publicatione nobis demonstrare, quibus tem-